

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii: ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu: et propter Nomen tuum deduces me et enutries me.

Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum redemisti me, Domine, Deus veritatis.

Gloria Patri, &c.

PSEALME 90.

Qui habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei coeli commorabitur.

Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum; Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: et à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

A sagittà volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu et dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, et decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.